Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

autem pedem tuum abstinueris eorum. Pedes enim eorum in malum currunt, et veloces sunt ad effundendum sanguinem. Audierat etiam: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Et alibi: Qui diligitis dominum odite malum, et cetera que in hunc modum lectione divina prolata sunt. Talia quippe dum audisset in mandatis domini, viam iniquitatis intellexit omnimodis execrandam, que iusto domino placere non poterat. Odio enim debent esse qui secuti sunt, ut rebus celestibus totus impendatur affectus. Decet enim nos execrari que mala sunt, quia in mundo a prauis necessitate prohibemur, quando conscii eorum videtur animus, quasi aliqua illis delectatione consenserit. Sequestratur autem ab illis rebus voluntas fidelium, que odio intercedente dampnaverit, ut nec voto nec operatione se polluat, qui mentem suam tali execratione purificat.

Nun.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, domine, et lumen semitis meis. Post .xiii.am litteram ad .xiiii. cohors beata pervenit, in qua pedibus suis dominici verbi lumen radiare congaudet, animam suam humillima satisfactione commendans, expetens retributiones domini premiorum desiderio, non terrore vindicte. Sciens ergo huius seculi noctem diversis offensionibus irretitam, ut alibi laqueos, alibi scopulos, alibi contineat profundissimas vastitates, pedibus suis verbum domini lucere testatur, ne absentia veri luminis incidat in ruinam, quam per suam prudentiam vitare non poterat. Sed hoc verbum illud debet intelligi, quod per scripturas sanctas ore prophetarum seminatum est. Quod bene appellavit lucernam, que humanis usibus data est ad pellendam noctis profundissimam cecitatem. Sic Petrus apostolus dicit: Habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes velut lucerne lucenti in obscuro loco. Sic et ipse dominus apostolis dicit: Sint lumbi vestri precincti, et lucerne ardentes. Bene autem addidit ardentes, propter virgines fatuas, quibus cum oleum defecerit, adventum sponsi non potuerunt prestolari. Verbum autem illud consubstantiale patri a natura deitatis sue lucerna dici non potest, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut et ipse de se dicit: Ego sum lux mundi. Nam ista discretio et in evangelio facta est, ubi de Iohanne dictum est: Ille erat lucerna ardens et lucens. Et iterum: Non enim erat ille lux, sed utique missus est ut testimonium perhiberet de lumine. Sequitur: Et lumen semitis meis. In eadem translatione permansit, ut verbum domini, id est dicta prophetarum, lumen dicat suis semitis prestitisse. Per ipsas siquidem dum ad vite bone cursum instruimur, clarificati corde rectis gressibus ambulamus. Iuravi et statui custodire iudicia iustitie tue. Post istam illuminationem verbi quam suis pedibus lucere professus est, videamus si propheta beatus contra preceptum potuerit iurare, cum scriptum est in evangelio: Non iurabis, neque per celum, neque per terram, neque per Ierosolimam, neque per caput tuum, et cetera. Sed iurare non semper significat sacramenta prestare, in quibus invocando divinitatem pollicemur ne promissiones nostras mutabiliter excedamus. Sic et sancta devotio decreverat esse atque constituerat, inter quelibet pericula domini custodire iudicia. Nam et ipsum nomen indicat causam. Iurare enim est iure orare, id est equitatem dicere, ne velit quispiam quod promisit in partem alteram seductus avertere. Sic enim iurant, id est firme constituunt sancti, qui iam sunt dono domini roborati. In evangelio vero prohibet dominus infirmos qui venerant ad parvulos sauciosque salvandos, ne velint temere promittere quod nequaquam poterant suis viribus adimplere. Iudicia vero iustitie sunt, cum exaltat humiles, deicit superbos, et misericordie sue dono relevat humili satisfactione prostratos. Quod sequens versus ostendit. Humiliatus sum usquequaque, domine: vivifica me secundum verbum tuum. Cum se dicat xpi